DISSERTATIO EPISTOLARIS

OHANNIS DANIELIS GOHLII, M. D.

DE

REGIMINE FEBRIVM ACVTARVM.

AD

VIRVM IVVENEM DOCTISSIMVM

RVDOLPHVM GOTTLIEB REHFELDTVM,

BEROLINENSEM MARCHICVM

CVM 27. MARTII ANNI 1708.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

MEDICINAE DOCTOR

RENVNCIARETVR.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30771067

VIR JUVENIS DOCTISSIME, FAUTOR ET AMICE PLURIMUM COLENDE.

QVemadmodum non immeritò Sydenham pluribus locis, *Febrim Naturæ Inſtrumentum*, vocat *quo partes impuras à puris ſecernat*: v. p. m. 72. Ita quid ego circa hæc verba ſentiam, brevibus ante indigitabo, quam de ejus regimine diſſeram. Per *Naturam* intelligo principium in corpore animali mixto & vivo hypoſtaticum, illudque quoad totum & partes actuans & conſervans, quod propter principalem actum, quem in corpore exſerit, *Anima rationalis* vocatur. Quod Febris dicatur *Inſtrumentum Naturæ*, ita intelligo. Ubi Febris dicitur, dicitur motus, non extrinſecus adveniens, ſed de interno Apparatu vitali jam tum in ſtatu ſecundum naturam pro conſervanda mixtione corporis ſolenni, geminus ex *Pulſu* & *Tono* conſtans, nunc autem in ſtatu præternaturali, ultra conſuetum gradum intenſus, ut proportionatus ſit, Præverſioni & Averſioni, periculi & noxæ, mixtioni animali à cauſis materialibus objectivis, in quantitate, qualitate, præſertim activitate plus minus peregrinis, impendentis. Sic in complexu motuum conſiderata Febris eſt utique Inſtrumentum Naturæ actuantis. Legatur pluribus, Diſſ. Excell. D. D. Stahlii de Febris rationali ratione. Aſt cum à poſteriori Febris ſit motus in concreto, & ſe exerat varie in partibus organicis corporeis, intentioni Naturæ plane conformibus, & ad finem ejus in Figura, ſitu & connexione proportionatè mechanicè conſtructis, neceſſe eſt, ut etiam partium applicabilitatem ad ſcopum Febris intueamur. *Pulſui*, quatenus noſtrâ conſideratione ex Syſtole & Diaſtole, ſolitô citiore & crebriore conſtat, unumque Febris in Actu complexo ſumtæ motum conſtituit, ſubjacet Cor cum Syſtemate arterioſo & venoſo. Sed quî poſſet ſimplex hic motus ſufficere fini & intentioni Principii noſtri actuantis (uti tamen vulgaris eſt opinio) niſi eodem actu, impurarum (uti Sydenham loqui amat) potius recrementitiarum aut inquilinarum aut adventitiarum fieret ſecretio & excretio? & hujus conſiderationis Actui ſubjacent partes poroſæ, præſertim colatoriæ, quibus vaſa, quæ cum ſanguine partes ſequeſtrandas deferunt & depuratiorem revehunt, interſtrata ſunt. Pulſum alius quidam intimioris nexûs motus, hactenus tantæ neceſſitatis ac tanti uſûs non agnitus, ſuſtinet, qui partim æqualem purpurei laticis per poroſas partes conſer-

vat progreſſum, partim Secretionis & Excretionis negotium ſpecialiùs magis in partibus & ad partes pro intentione Actuantis dirigit ac determinat. Et talis Motus meritò ab Excell D. D. Stahlio vocatur *Motus tonicus.* Cujus uſus in dirigendo Motu pulsûs, partialiùs ad Partes ſtaſi humorum obſeſſas, quâm manifeſtò diſpaleſcit ex Febrium inflammatoriarum Phænomenis externis & hiſtoricis, ut hinc iterum quoad effectum Sydenham non malè *Apoſtema Naturæ Machinam* vocaverit, *quâ iſta quæ carnibus infeſta ſunt amoliatur* p. m. 204. Aſt poſſet hic objici, me perversâ ratione interpretari verba Sydenhamii, utpote qui per *Naturam*, non principium aliquod internum hypoſtaticum corporis humani viventis, ſed *cauſarum naturalium complexum* intelligit, qui cum in ſe ſit *brutus & conſilio deſtitutus ab alio ſublimiore conſilio, ut regatur neceſſum judicat.* v. p. m. 158. *Febris* quæ ipſi *Inſtrumentum* jam memoratæ *naturæ* audit, ex allegatis effectibus efferveſcentiis & deſpumationibus non ſimplex eſt commotio ſanguinis, (uti ipſe quidem vult) ſed vera ſpecies *Fermentationis* & quidem *vinoſæ.* Jam autem combinare non poſſum, quomodo talis ſpecies Fermentationis animali mixtioni ne quidem ſimpliciter tali, multo minus ſecundum ſtatum vitalem, competere poſſit. Ut taceam Fermentationem, qualiscunque demum ſit, eſſe actum macrocoſmicum extrinſecus corpori mixto ſimpliciter advenientem, quî poterit illa inſtrumentum Naturæ Sydenhamianæ eſſe ad defendendam mixtionem animalem, ne in ipſa fiat Fermentatio Vitæ oppoſita? Et qualis tandem hic eſt nexus? Febris, tanquam Fermentatio, eſt Inſtrumentum Naturæ brutæ & conſilio deſtitutæ & tamen ſequitur effectus non brutum quid, ſed conſilium omninò involvens principium, niſi abſurdisſimâ ratione ſublimius illud ita à Sydenhamio vocatum conſilium velimus immediatum Febris facere Auctorem, & ne ſic quidem nexus excuſari poterit unquam. Aut quid hoc ſibi vult? Fermentatio ſive Febris eſt Inſtrumentum recuperandæ Sanitatis & eadem eſt Reſolutio intima & profunda mixtionis animalis, adeoque non ſaltem morbus, ſed ipſa Mors partium & corporis. Sed manum de tabula. Placuit mihi hæc præmittere, partim ut planiùs appareat, quid de hactenus recepta Hypotheſi de Febribus ſentiendum ſit, utpote quam alii adhuc multò crudius deſcribunt: Partim ut conſtet quônam Fundamentô regimina Febrium acutarum niti debeant, nempe nullô aliô niſi intrinſecô naturali & *rationali* avtocraticô. Febres itaque ſunt iſti ſic dicti morbi, quorum medio tanquam Medicinâ ſine medicamentis tamen & ſine medico, ſæpe ſæpiùs ingens Turba pauperum in tabernis & tuguriolis, ingens numerus militum gregariorum in caſtris reconvaleſcunt, ſolô ſaltem obſervatô externô regimine, quod ſibi ipſi conſtans, placida ſuadet

det Natura. Naturæ itaque ductum legitimum velut Cynoſuram & ipſe Medicus in adornandis congruis regiminibus ſequi debet, niſi plùs ſapiendo quam Natura, monſtrare velit quantum deſipiat. Sæpe plus momenti ſitum eſt in ſolo debite adminiſtrato regimine, quam in ſtupendis medicamentorum Phalangibus, quibus miſellos oppugnari videmus patientes. Et præſtat ut Medicus præſertim in rebus dubiis magis ſpectatorem agat quam actorem. Præſupponit autem in Medico juſta regiminum adminiſtrandorum ratio 1) Genii communis & proprii Febrium acutarum notitiam 2) Temporum anni, æquinoctialium maximè, obſervationem 3) Diſcretionem temporis morbi generalem univerſi morbi, ſpecialem, paroxyſmorum, ſpecialisſimam, excretionum, Mutationum, aut translationum criticarum. 4) Diſcretionem Symptomatum Febrilium eſſentialium & extraeſſentialium 5) Cognitionem individualium morum Animi & corporis, ſenſibilitatis, conſuetudinis, idioſincraſiæ &c. 6) Habitudinem rerum non naturalium ad ante dictas tempeſtatum, morbi & Patientum circumſtantias. Quarum rerum ſcientiâ præmunitus medicus, nequaquam difficulter poterit ſuum cuique Febri congruum impertiri regimen, cum eventu ſperando maximè ſalutari. Antequam autem presſiùs ad ipſam provolvar Tractationis materiam, præmonere volui me Febrem Tertianam, à Veteribus pro acutâ agnitam, hîc excluſam, incluſas autem velle, Febres inflammatorias, quas Veteres ad partium morbos ſaltem retulerunt, & pro univerſali morbo non agnoverunt, quæ tamen meritò ad ſtatum mixtum referri & huc ſimul in penſitationem trahi merentur. Noſtrô ſcopô ex rerum non naturalium numero principem conſiderationem præ reliquis hâbebunt, *Excreta & Retenta*, in quarum ſubſidium reliquæ omnes collimare debent. De Febribus in univerſum acutis, conſenſu omnium Practicorum conſtat, quod nunquam bonâ fide ſine ſudoribus & Urinæ coctionibus terminentur. In qua generali aſſertione, cum primarium adornandi regiminis febrilis fundamentum nitatur, certe tam levi pendenda non eſt, uti quidem facit Sydenham, dum plures Febres epidemicas & malignas, febres Dyſentericas imo ipſam peſtem, per regimina diaphoretica tractare nimis rigoroſe prohibet. Quàm malè hoc faciat ſatis ſuperque teſtantur nonnulli abipſomet recenſiti malefidi febrium eventus, quales ſunt ſudores colliquativi, Rhevmatiſmi & Icterus Febribus declinantibus ſuccedentes, tanquam fructus copioſæ Venæ Sectionis, Cliſteriſationis, Narcoſeos & Abſtractionis à Lactis. Et qui ad hoc extremum imitando prolabuntur, aut ſaltem perfunctoriè ſatis regimina diaphoretica in febribus tractare audent,

certò certiùs obſervabunt, Patientes ſuos, ex uno morbo reſurgentes à novo quaſi in inſidiis latente invadi, ut vix pares ſint deinde ad eluctandum. Ut adeò conſtanter pro norma retineri debeat, *omnes febres præſertim acutas, ſalubriter tandem ſudoribus terminari.* Neceſſe tamen non eſt, ut talis conſequentia inde colligatur, ac ſi ad perpetuos ſudores Patiens deberent reſtringi: Sed prout quisque febrium exigit Genius, Motus huic conformes dirigendi, ubi deficiunt ſuſcitandi, ubi inſolescunt, moderandi ſunt omnes, ad excretionum legitimarum ſucceſſum, tempore opportuno obtinendum & conſequendum. In *continentibus* ſudant confertim poſt ſtatum morbi jamjam ſuperatum. In *continuis* ſudant in ſingulis paroxiſmis præſertim ubi ferocior æſtus paulatim detepeſcit. Exanthematicæ, Malignæ, contagioſæ, imo & ipſæ Inflammatoriæ ad perennantem vergunt diapnoën, non largam ſed humidulam. His à Natura monſtratis viis, etiam in Applicatione regiminum conſtanter inſiſtendum eſt. Nemo ſanus neque in continentibus, neque continuis febribus ſtatim ab initio primis 1. 2. 3. diebus ſudorem de facto urgebit, niſi velit crudam & nondum concoctam Febrium materiam ad viſcera deturbare, aut ut ad Meninges, Fauces & pleuram transferatur Naturam cogere, conf. Sydenham. p. m. 332. Ipſa Febris ex eventu nos docuit, præcoces excretiones omnes extrajudiciali tempore à Natura tentatas aut ſuſceptas, indicium eſſe Naturæ præcipitis, tumultuantis, confuſæ, & genuini conſilii non capacis. Et qui circa ſtatum Febrium, ubi Natura ſponte ad ſudores criticos in nonnullis ad minimum febribus, pro ſtatu noſtri Climatis vergere conſuevit, pro more Hypotheſeos, ut infra videbimus, ſæpè invitæ Naturæ interna calida Bezoardica cum externo regimine calorifico ingerunt & propinant, certe naturam opprimunt, ut juſto magis expanſam materiam ad ſeceſſionem & excretionem nunc efferre non poſſit: Heterocliti potius & anxii ſequuntur motus eluctatorii, ſudor ſperatus reſtitat, Angores, Translationes, Deliria & ſexcenta alia funeſta ſe produnt Symptomata, & Natura aut inops conſilii deſperat & ceſſat, aut tentat extremam luctam cum non meliore cataſtrophe, aut conſtans propoſiti molitur abſceſſus, malè ad viſcera, meliùs ad extra. Pejus faciunt qui nullius criſeos gnari, aut illam ex præjudicio, in patientis præjudicium, inſuper habentes, verſus illa tempora planè alienas & è diametro intentioni Naturæ laborantis oppoſitas commotiones & excretiones ſuſcipiunt, quales ſunt, Venæ Sectiones, Purgationes, Vomitiones ipſis judicialibus temporibus inſtitutæ. Extremam denique ſuam produnt ignorantiam, qui ex Phœnomenis externis inſtantis criſeos aut mutationis criticæ territi

& anxii, anxiam tunc temporis Naturam, ut apparet, directa narcoſi enervare ſtudent, ut nefandæ talis inſcitiæ pœnas, non ipſi, prout meruiſſent, ſed miſeri patientes morte luere cogantur. Et certe ejusmodi facinoribus impunè in vitas patientum concreditorum graſſantur, quicunque veſtigia illorum legunt, qui primi Criſes inexcuſabili & deteſtandâ proterviâ ex Medicina proſcripſerunt. Non parum promovet ſpontaneam Naturæ ad ſtatos ſudores & ut coctæ exeant Urinæ, applicationem *Largior* ſolito *potus*, quem certè *ex conſilio* in æſtuantibus his morbis expoſcit, ut reſtituatur illa humiditas, quem extraordinarius ille calor & æſtus, potius ſecretorii & excretorii motus, depaſcuerunt; inſervit ſanguinis dilutioni ut promptiùs promoveatur, & vehiculi loco, quô colatoriis partibus recrementa profundius invehantur, æſtum contemperat & activiora recrementa diſpergit. Vix ſuſpicor extituros eſſe, qui illud Naturæ denegabunt, quod tam impensè, non *citra rationem* efflagitat. Legant iſti quæſo Obſervat. 53. Bonetti in Sepulchr. Lib. IV. Sect. I. ex Panarolo. Ubi in illis ſubjectis, qui febribus acutis cum defenſo & prohibito potu decubuerunt, viſcera, præſertim hepar, quaſi exuſta & arida deprehenſa fuerunt. Perſpexerunt Veteres jam tum quænam requiſita ad necesſitatem febrium faciant. Propterea Hippocrates in Tr. de Victu in acutis, maximè ſollicitus eſt de Diæta febricitantium. Præ reliquis mihi placet Decoctum Hordei, cujus uſum familiarem in his morbis omnes gentes hactenus conſervarunt, quod etiam pro diverſa febris, Subjecti & partis affectæ conſtitutione additis addendis diversè ſpecificari & præparari poteſt. Interim non obtrudendum eſt omnibus & ſingulis, qui illud ſpecialiùs averſantur, aut quorum viſcera per habitualem flatulentiam ex prægresſis hypochondriacis pathematibus enervata ſunt. Quantitas potûs metiri debet non ſaltem pro corporis mole & couſuetudine ordinaria, ſed pro præſentis extraordinario febris ſtatu. Ita, ut ubi ſimpla portio in ſano ſtatu ad reſtinguendam ſitim ſuffecit, nunc dupla & amplius exigatur ad magis facilitandum ſucceſſum febris. Et cum largior, quam conſvevere ſani, febrientibus concedenda ſit potus quantitas, neceſſe eſt, ut etiam in qualitate non lædat. Potus inebriativus & ſpirituoſus valde lupulatus, cum caput petere faciat, pro ordinario potu abeſto: Non defæcatus, potentiâ aut actu fermentans, lentus, aceſcens aut cuicunque corruptioni proximus, tantas turbas commovere poteſt, quæ ſemel factæ ſolertisſimam quoque artem eludere non verentur. Sit ergo noſtro ſcopo tenuis, limpidus hordeaceus magis quam triticeus, non actu frigidus ſed temperatus. Nobis hic locorum præ reliquis maxime arrides

ri det *Cerev'ſia Læbjunenſis*, quæ cum hic nullam aliam habeat quâcum co mparari poſſet, omnino principem obtinet locum. De *potu frigidæ* veterum nihil memoro, cum exoluerit, magis reſpici meretur *potus calidæ* cujus hactenus uſus ad abuſum ferme invaluit. In febribus, quæ perſtantem exigunt Diaphoreſin incomparabilis ſanè eſt emolumenti, veluti in contagioſis, malignis exanthematicis, Inflammatoriis & Rhevmatiſmis. In Exanthematicis periphericam efflorescentiam recuſantibus, auſpicatius nihil exhiberi poteſt præ potu calidæ, quô tergiverſans Natura ad ſtatum opus preſſius adſtringitur, quid in purpuratarum miliarium recurſibus metuendis plùs, quàm medicamenta præſtiterit, Experientia me docuit. Si individuales ſanguinis orgaſticas commotiones injicis, quod obſtent potui calido, nihil referre puto, modò interponantur nitroſa, præcipitantia & acida, præprimis, quem magni facio Cliſus Antimonii, in potu tenui ordinario. An *vini* uſus in Febribus concedi debeat, paulo magis circumſpectè perquirendum eſt. Poſſe exhibi, modo non ſit merum aut generoſum, ſed tenue limpidum aut aqua dilutum, quam perſvaſiſſimus ſum, modo cauſæ quoque externæ occaſionalis & impulſivæ, opportunitatis, Morbi & ſymptomatum habeatur ratio. Rejiciendum eſſe puto vini uſum in Febribus qvas iracundia aut vehemens corporis motus & exæſtuatio, aut vinoſa ſuſcitavit crapula: nocet in Febribus continentibus, bilioſis & inflammatoriis: nocet in incremento & ſtatu Febrium; nocet ante & in Paroxyſmis æſtuum febrilium exhibitum; nocet in omnibus febrium extraeſſentialibus ſymptomatibus. Juvat v. in Febribus, qvas vigor actuantis ex quacunque vel interna ipſius Naturæ, vel externa patientis male ſe gubernantis aut Medici perversè curantis culpa deſeruit. Juvat in declinatione Febris univerſim ſumtæ ad reliquias recrementorum in majorem ſubjecti ſecuritatem expellendas aut in Paroxyſmorum declinatione ut erigatur & roboretur labore laſſa Natura ad promptius proxime inſtantia munia recapeſſenda. Ita ut ejus uſum in ipſis exanthematicis & nuper ſaltem in Purpura miliari, ſub ipſa eruptione proficuum deprehenderim, quod ipſum etiam ſuâ Sydenham corroborat Experientiâ, quando vinum ſuppuraſcentibus concedit variolis pag. m. 187. Si & hic ebulliens febricitantium objiciatur Sangvis, quod vini uſum nullo modo ferat, neque hoc ex antedictis contendo: Præcordiales autem exanthematicarum anxietates nitroſis aut acidulatis potibus interjectis, compono. Sanè, acidulati potus in febribus æſtuantibus uſus tanti eſt, ut condignè deprædicari non poſſit. Ipſe Sydenham propterea Spiritum Vitrioli tenui Cereviſiæ inſtillatum pag. m. 189.

in

in ſymptomatica febris continuæ phreneſi ad Sanitatem & Somnum conciliandum: in confluentibus item Variolis ad putredinem, ut ipſe loquitur, oppugnandam & caloris ferociam perdomandam ſpecificè quaſi ex ſingulari Experientia pag, m. 299. commendat. Nec malè in febribus caſtrenſibus Screta ad temperandum æſtum pariter & ad Analepſin ordinat Decoctum Ceraſorum acidorum, quod præter utilem effectum & acrem ſapidam præ ſe fert gratiam. Eadem Natura quæ potum largiorem in acutis febribus ſitibunda ex Conſilio expetit, *cibum* è contra in iisdem, maximè omnium *carnem* animalium, tanquam fomitem putrilaginoſæ corruptionis impenſe averſatur. Rationem facti demonſtrativè ſatis exhibuit alibi Exc. D. D. Stahlius præprimis in Propempt. de Abſtinentia & nauſea Carnium, in morbis, præcipuè acutis. Nec video, quam prærogativam ſorbilia habeant ova, præ carnibus, utpote quæ præter communia mixtionis fata, ſpecialem nonnullis creare poſſunt nauſeam, Febris turbatricem: Aſt tum demum nutriendos eſſe ægros cum Hippocrate concedo, quando calor ad pedes deſcendit, aut Febris eſt in Declinatione. Tum quoque Naturæ appetitus ſæpe ad inſolita fertur, imo ad talia quæ primo intuitu abſurdum aut noxium quid involvunt, nec tamen ſi penitius examinentur toto genere ab indole materiæ febrilis ejusque aliquali ſubactione recedunt, quin his ſatiata Natura præſenter relevetur. Ipſe novi plures in Declinatione acutæ febris Lac ebutiratum expetentes & hinc inſtanter corroboratos ac relevatos. Et alium quendam mihi amicum poſt ſtatum Febris Acutæ Lac ebutiratum ſubactum cum frumento vaccino excorticato cocto (Grütz und Buttermilch) appetentem, & ubi aſſumſerat ſtatim inde ex Clinico Orthoſtadium factum: Plura norunt Practici. Maximè omnium procurandum eſt ut ab omnibus *animi pathematibus* liberi maneant febricitantes, ne Natura per turbulentos hos rationales actus etiam in vitalibus ſecretoriis & excretoriis actibus, in quos tunc unice magis intenta eſt, confundatur. Vigilantiam naturæ magiſtrare velle, non licet, ipſamque ad exercitium actuum ratiocinativorum reſtringere velle, piaculum eſt, tantò magis ſi hoc ſiat turbata penitus ratione. O quam pretioſam ipſiscum natam iſti nacti ſunt Medicinam, quos Natura, animo pacato, patiente, conſtante & obfirmato beavit, ſolô enim regimine, cui parent, gubernari poſſunt ad ſalutarem eventum. Sed quam rara hæc ſit avis, experiuntur ſatis qui Clinicam exercent Praxin. Quos diſproportionata Temperamenti Miſcela non corrupit, illos corrumpit indulgens educatio, quos hæc non corrupit, corrumpit Conſuetudo aut adſcititia

pathe-

pathetica aut connata hæreditaria. Ita ut miſelli homines longè majorem & frequentiorem ægrotandi & moriendi cauſam, ex ſe ipſis nacti ſint, quam ex ipſis morbis aut aliunde. Quid ſibi vult Practicorum hoc effatum, quod morbis de ceterò benignis per ſupervenientia animi pathemata, accedat Malignitas, certe non nova ex inſtanti creata eſt materia corroſiva & peregrina, ſed motuum taxis ad heteroclitum tranſiit ſtatum. Et in quemnam maximè redundat culpa lethalis eventus, quando febres adoriuntur Subjecta Athletica & hactenus febris inexpertia, aut impatientia, inconſtantia præcipitibus motibus moralibus adſueta, aut contra nimis ſenſibilia, ambigua, pavida, ad tergiverſationes proclivia, aut peculiari alia Idioſyncraſia caracteriſata, certè non in Febrim tanquam Febrim, ſed in Principium Febrim tanquam Inſtrumentum gubernans, neceſſe hinc eſt, ut Inſtrumentum ſe patiatur regi ſecundum intentionem actuantis qualiscunque quoque fuerit. Patientes ergo qui jugum juſti & neceſſarii regiminis impatienter excutiunt, ſtragula dejiciunt, pedes & pectora denudant, corpus per ſingula momenta jectigant, ex ſummis ad ima & ex imis ad ſumma denuò ſe provolvunt, frigida contrectant, lectum aut locum mutare conſtanter contendunt, certè tam diu mutant, donec vitâ cum morte commutatâ ſui ipſius effrenis proterviæ pœnas corpore luunt. In ſublimiorem animos medicorum rapit admirationem Fatalis illa ex improviſo ingruens, exoptatisſimum alias & optimæ ſpei curſum Febris interrumpens, Cataſtrophe, ex cauſis ſæpe orta, quas ne hariolari unquam posſibile fuiſſet. Quales ſunt, nuntium terrificum, aut Lapſus aut fragor ex improviſo percellens, aut horidum Inſomnii terriculamentum &c. efficaciam tamen ſuam maximè exſerentes circa criſeos tempora, minus poſtea. Quicquid itaque Medicus, aut neceſſarios, aut adſtantes, aut domeſticos, aut qui curam febricitantis gerunt, inſtruere & admonere poteſt, ut Patientem ſollicitè immunem præſtent ab acceſſu occaſionum patheticarum, facit, quod & regimen externum & officium ejus poſtulat. Ex prædictis conſtat maximè familiarem & ſolennem febribus omnibus acutis eſſe excretionem per ſudorem & Urinam. Jam autem ab immemorabilibus ad hæc usque tempora *Venæ Sectiones* obtinuerunt, neſcio an dicam uſum an potius abuſum. Ad Febrim qua Febrim curandam certe non pertinent, ad confundendam autem febrim res eſt præſentanea. In nulla enim febre impunè celebrari poteſt, niſi peculiares poſtmodum & in regimine & in Methodo curandi obſerventur cautelæ. Soli Plethorici, ne ſanguinis quantitas motui febrili impedimento ſit, ſanguinis parte largius omninò volunt depleri. Hinc in continentibus Veteres olim ad Syncopem usque ſanguinem

evacuarunt, perverſa connexione reputantes, ſic corpus poſſe perfrigerari, quam autem ex confesſis conſequentiis ſuſpectam methodum noſtri non immeritò repudiarunt. Præſtat ergo potiùs repetitam in Athleticis tentare Venæſectionem non ſaltem in continentibus, ſed & inflammatoriis, & revulſoriam & derivatoriam, quàm ſimultaneam & excesſivam cum virium & vitæ diſpendio. In acutis omnibus quoties indicatur Venæ ſectio celebranda eſt ante quartum Indicatorium diem, Urinis adhuc exiſtentibus crudis, quo minus natura nondum ad conſumtionem aut verum Typum determinata, turbari queat. In continentibus ſubjungendum eſt poſtmodum Regimen temperatum ad perpetuum madorem corpus componens & in eo perdurans ad exitum usque, intro datis nitroſis, præcipitantibus, diaphoreticis fixis, & Diluentibus acidulatis. Unum, idemque regimen poſt Venæ ſectiones ante quartum diem celebratas minimè ferunt febres continuæ, quin gravisſimè inde læduntur & raptus humorum ad caput & fauces certo certius conſequuntur, potiùs per presſius regimen diaphoreticum Natura admonenda eſt ſecretorii & excretorii officii, ne gravi & irreparabili culpa inde penitus deſciſcat: Quod ipſum expertus Sydenham pag. m. 62. ita loquitur. Haud me latet ægros temeraria ſanguinis misſione multatos, convenientium cardiacorum uſu aliquando ſervari, ſanguinemque ad tenorem defæcationi ſuæ peragendæ idoneum reſtitui poſſe. Sed NB. præſtiterat plagam non infligi quam ſanari. In continuis enim ad ſinceras ſanguinis evacuationes monſtrata via utplurimum magis periculoſa eſt quam in continentibus ad hanc ex genio congrue magis vergentibus. In malignis, contagioſis, & Exanthematicis abſolute periculoſa eſt, quippe ne ſpontaneæ quidem Eructationes ſanguinis quocunqu e fiant in loco, quocunque etiam fiant tempore, ſalutaris ſed potius pesſimi ſunt indicii: multò minus ſolabitur artificialis evacuatio, niſi quod, exigente licet hanc Plethora, morbum confundat. Qui tardiùs quarto die venam in febribus ſecant, apparentibus jam tum Coctionis ſignis in Urina, vix excuſari poſſunt à Culpa pesſimi facinoris. In continentibus enim, niſi reſtrictius ſubjungatur regimen diaphoreticum, cum raptu humorum ad fauces, criticis diebus moriuntur patientes, Naturâ ex tædio, poſt frivole interruptum intentionis curſum, organici corporis uſum derelinquente. In continuis, ſive ante, ſive poſt Urinas coctas, Vena ſecetur, ſemper neceſſe eſt idem regimen, eandemque methodum ſervare, quâ anceps facta Natura reſtringatur ad τὸ δέιον. Quî circa *Aeris* uſum gubernandi ſint acute febricitantes in ſubſidium

 febri-

febrilium ſecretionum & excretionum, nec minus ſollicitè proſpiciendum eſt. Nimius mihi videtur eſſe Sydenham in abſtrahendis Ægrotis ſuis à Lectis. In variolis quidem, præſertim confluentibus metuendis, puto concedi poſſe, ut & in febribus peſtilentialibus, aſt cum ſummâ modeſtia, ad præcavendam copioſam Exanthematum peſtilentialium eruptionem. In morbis autem inflammatoriis, Pleuritide & Rhevmatiſmis in idem regimen refrigeratorium, quicquid dicat aut extollat, non condeſcendo, aliam viam præmonſtrante ipsâ Naturâ ad ſpontaneas horum morborum ſolutiones, per moderati halitus & Urinæ perſtantes excretiones factas, vergente, eandem quoque ex adverſo eventu indigitantibus, ſudoribus colliquativis, Ictero, aut recidivis ab ipſo Sydenham pag. m. 283. citatis & confesſis. Æſtatis tempore ſufficit febricitantes leviter togâ camerali aut laneo tegumento obtectos eſſe, ad defendendum Aeris in corpus ſenſile & madidum allapſum: Hiemali, idem ſufficit regimen, modò focus accenſus cubiculo æqualem ſemper impertiat caloris gradum. Presſius tamen regimen caloris à purpuratis, miliaribus febribus exigi, per experientiam convictus ſum. Huc quoque ſpectat, quid de vulgi hac opinione aut potius obſervatione ſentiendum ſit, quando dicunt (das weiße Zeug verſtärcke die Kranckheit) Sydenham propterea ſuis ægrotis permutationem induſiorum non concesſit, ſed ut in ipſo corpore ſudore madentes, exareſcerent, imperavit. Quæ permutationem induſiorum omnino diſſuadent ſunt ſequentia. 1.) Aeris ſub tali actu nociva & alterans admisſio. 2.) nova alteratio in ſenſum inducta à recenti induſio licet calefacto aut ſuffitibus imbuto. Ut taceam odorem ſaponarium, quem communiter ſpirant, plurimis adverſum eſſe. E contra ſunt iterum aliæ circumſtantiæ quæ permutationem omnimodo ſuadent, videlicet 1) Nauſea, quam nonnulli patientes, mundiciei amantes, ſuper ſemetipſos, ſudore graviter olentes, concipiunt. 2) Corporis perfrigeratio, quam induſia aut lectum ſudoribus perfuſa, ſub remisſionem ſudoris inferunt. Optimum itaque expediens eſt ex his difficultatibus enitendi, ut aut patiens ita madidus in conſtanti cubiculi ſervetur calore donec quadantenus exaruit; Aut neceſſe eſt, ut madida induſia non permutentur cum planè recentibus, ſed cum aliàs à patiente vel ab alio geſtatis. Non levioris etiam eſt momenti *alvinæ excretionis* in acutis febribus curam gerere, quæ tamen non niſi cum magna & ſolerti diſcretione per ſpecies ipſarum ſubalternas inſtituenda eſt. Multum infringit intenſioris æſtus impetum in febribus continentibus & inflammatoriis laxa

alvus:

alvus: Multum quoque nocet & turbat eadem in malignis contagioſis & exanthematicis. Mirari hinc fas eſt Veterum circumſpectisſimum quem faciunt remediorum alvum ſolutivorum ſelectum, quo nulla alia, niſi quæ lenire ſaltem & ad lubricitatem alvum diſponere queunt, ad uſum familiarem deſtinant. Quæ potentius Maſſam ſanguinis commovent, velut Scammoniata, Helleborina; aut inteſtina ſenſibilius afficiunt & præpoſteras revulſiones inducunt, Colocinthiaca, excluſerunt. Commodisſimum ex præſidiis alvum ſubducentibus ſunt Cliſteres ſaltem emollientes aut leviter carminativi minus ſtimulantes, quos Galli ex futilibus & nullius momenti cauſis frequenter magis quam neceſſarium eſt, injiciunt, ut propterea quoque cum copioſis quas conſueverunt Venæſectionibus, in ſcenicas Mollierii Satyras protracta fuerint. Magis reverenda eſt Veterum circa Cliſterum opportunum uſum Cautio, quâ in febribus, præcipuè inflammatoriis, ante quartum diem, neque illos, neque interna pharmaca ſolutiva infundi permittunt, reputantes, humores hactenus adhuc in fluxu conſtitutos, hinc fortius ad locum affectum trahi. Quod Cliſteres declinantibus febribus continuis, poſt 12. aut circiter diem noxii ſint, febris periodum longius protrahentes, prudenter non minus quam ſolidè notat Sydenham in meliorem ſuæ Methodi juſtificationem. pag. m. 70. & 303. Maximum adhuc reſtat offendiculum excutiendum, quod in Praxin clinicam irrepſit ex culpa regnantis Hypotheſeos, Typos febrium perfunctorie nimis conſiderantis, & Methodos ac regimina acutarum febrium Modulo univerſi febrium decurſus, quatenus in Initium, Incrementum, Statum & Declinationem diſtinguitur menſurantis. Fateor quadrare poſſe hanc procedendi methodum in continentibus unô & ad ſenſum vix mutabili tramite ab initio ad ſtatum usque properante. Quomodo autem quadrare posſit ad continuas, quotidianas paroxiſticas exacerbationes & remisſiones exhibentes, non capio, quod tamen non ſaltem Sydenham ſed & Ludovicus & alii ſancte contendunt. Primus certe eſt, G. E. Stahlius, qui qua ratione & Curæ Methodus & regimen externum ad ipſos febrium continuarum paroxiſmos accommodari debeat, monſtravit, de qua re alii, ante ipſum ne quidem ſomniarunt, & tot plauſtra librorum Practicorum ſilent. Continentes febres ſimultaneam criticam, ſuperatô ſtatu, recrementorum ex reſoluto ſanguine natorum, judicialibus diebus moliuntur excretionem largam & confertam, quam ipſe medicus privativis internis temperantibus & externis placidis regiminibus ad ſecundum ſecundare debet eventum, nec ante presſius per cardiaca exſtimulare quam forte deficiat. Con-

 tinuas,

tinuas, ita vide ſis, à noſtris curari & externis regiminibus gubernari. Sub initium & incrementum exhibent ſalia volatilia aut calida alexipharmaca interpoſitis præcipitantibus & diaphoreticis fixis; circa ſtatum in benignioribus, porrigunt ſola præcipitantia, in malignis poſitiva Bezordica partitis tamen & refractis doſibus v. Ludov. Pharm. Mod. Sec. accom. pag. 227. non aliter acſi febres tales de eôdem eſſent geniô quô continentes. Proh! in quanta mentis caligine palpitant miſeri! Siccine ſecure ſatis proviſum eſt Febri, aut Patientibus aut ſingulis paroxiſmis? Si ſimultanea criſis expectanda eſſet concederem aut excuſarem ita proceſſiſſe. Aſt cum ſinguli continuarum paroxiſmi ſuas ſtatas quaſi criticas habeant excretiones præſertim in noſtris Climatibus, judicialis confertim talis, ſaltem in ſtatu, facile expectanda non eſt. Quin potius hac ratione & Methodus & regimen procedendi ſingulis paroxiſmis accommodandum ſit. Qui inſuper habitis paroxiſmis, promiſcuè nullo obſervatô tempore, calida cardiaca aut Salia Volatilia empyrevmatica febrientibus, ſub initium & incrementum morbi, ingerunt, etiam ſine turbantibus Venæ Sectionibus, à ſtatis excretionibus in diverſum abreptarum materiarum inducunt translationes Phreniticas & anginodeas. Aut ubi incidunt in medios ſurgentes Paroxyſmos ſimul cum externis calorificis regiminibus, aut ſperatum ſudorem ſupprimunt cum longe gravioribus ipſo morbo conſequentiis extraeſſentialibus, aut ipſum cum impetu cogunt, ut poſtmodum modum ejus ſervare Natura ſit neſcia, imo impos. Peculiarem conſiderationem merentur Febres billioſæ propter aliam quandam ipſis propriam & primario magis conſiderandam aut anotericam quæ ſalutarior, aut Catotericam, quæ magis anceps, bilioſæ materiæ excretionem, ad quam expeditiſſimè promovendam omnem curam in Methodo & regimine Medicus ſolerter impendere debet, ne à detenta & in viſcera graſſante materia Cauſos invaleſcat. Hinc ad velificandum huic excretioni perſpicaciſſimi Veteres ad ductum Hippocratis Uſum Seri lactis, Sale aut melle acuti, congrue ſatis ordinarunt, qualitatem autem bilioſæ materiæ Decocto Hordei excorticati perdomarunt. Imitator Veteris ſolidioris praxeos Sydenham propterea inteſtina Cholericorum Jure pullorum tenui per os aſſumto & per enemata injecto penitius eluit; breviore attamen & commodiore conſilio & correctioni & excretioni bilioſæ materiæ obviam iri poteſt Nitrô cum præcipitantibus, præcipue cryſtallô montanâ. Rebus ſic ſtantibus, ſpontè diſpaleſcit, quàm peſſimè conſultum ſit bilioſè febrientibus, ſi cum rigore ſudoriferi

riſeri regiminis ſtatim per initia oppugnentur ipſaque materia ex inteſtinis profundius intra viſcera cum periculo gravioris inflammationis deducatur. Interim debellatâ hâc materiâ, & ipſi febri, tanquam febri, tali regimine proſpiciendum eſt, quô ſub ipſo febrili motu eliquata ſanguinis materia aut ex inteſtinis retroſorbta tenuior bilioſa, per ſudorem pariter & urinam egeri poſſit. Quod febrium acutarum extraeſſentialia attinet ſymptomata, peculiarem non requirunt regiminis adminiſtrationem, quæ enim eidem non parent, cui paret morbus principalis, neque poterunt ſubigi niſi cum morte patientis. Illuſtrare poteſt hanc Sententiam Experimentum Sydenhamii in fratre cujusdam Pharmacopolæ Peſtilente febre cum perpetuis vomitibus affecto, factum, quem ſolo imperato regimine diaphoretico protinus relevavit. Singultus in febribus cum viſcerum inflammatione non complicatis, eveniens, ſolô ſaltem regimine diaphoreticô potentiùs compeſcitur, quàm ne quidem carminativis aut anodinis, locô ſolatii magis lædentibus. Solis Regiminibus modeſtis & opportunis moderari poſſunt inſolentiores febrium æſtus & inde pullulantes præcordiorum anguſtiæ; magis tamen præcaveri materiarum translationes, phreniticæ, anginoſæ, inflammatoriæ & rhevmaticæ, Typorum tranſpoſitiones, prolongationes & Recidivæ. Demum nihil reſtat niſi ut gravem illam adhuc memorem noxam, in quam ſuâ ipſorum culpâ incurrunt, iſti, qui regiminis ceteroquin placidi nec gravantis nihilominus pertæſi, præcoci auſu nondum viribus confirmati ad quemcunque rerum non naturalium uſum inconſultò feruntur. In eo certè Sydenham quam maximam meretur obſervantiam, quod declinantes febres æque ac vigentes per cardiaca & caloris regimina abſolvi velit, & ſecundum ipſius curandi Methodum non ſaltem utile ſed abſolutè neceſſarium eſt. Ut taceam nonnullas febres propter ipſis familiarem anniverſariam revolutionem poſitivè exigere Regiminis non ſaltem ſed & medicamentorum, partim reliquias materiarum in ſanguine gliſcentium, expellentium, partim intentionis ſemel ſuſceptæ obliterationem præſtantium, debitam continuationem. Qui ſecus faciunt, & vix ſuperato malo nimis ſecuri, nec regimen, nec Medicum, nec medicamenta congrua reverentur, certô certiùs recurſum morbi aut ejusdem, ſed pejoris moris, aut alterius longè durabilioris & vix excutiendi, expectare & in ſui ipſius exitium præcipites ruere coguntur.

Tantum tecum diſſerere volui, Amicorum æſtumatisſimè, de tali materia præprimis practica, cujus es amantisſimus, quamque ut pertractem mihi ſuaſor fuiſti. Condonabis autem impari mihi enondan-

dæ

dæ huic tam arduæ & profundioris receſſus materiæ, ſi illam non uti debuiſſem, deduxerim, nam & voluiſſe ſat erit. Nihil reſtat, quam ut votivus applaudam honoribus Tibi poſt ſtrenuum in artis noſtræ ſtadio decurſum jamjam conferendis ſummis. Properas in amplum & vaſtum praxeos clinicæ deſcendere campum, Cynoſuram nactus, incomparabilem à Viris Academiæ noſtræ longe celeberrimis, Friderico Hoffmanno & G. E. Stahlio, qua fretus, fluctus Pelagi, Praxin puto, non exhorreſcas. Naturam inquam ut ſequaris ductricem edoctus perge, & nusquam concepta ſpe excides, ſpondeo. DEUM tibi aſſocies comitem in quacunque ſis via & tota tua Vita, perennis erit Benedictio, quod cordicitus apprecor, vale.

HALÆ MAGDEB.
Literis CHR. HENCKELII, Academ. Typogr.